



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

v. An priuetur, qui in Ecclesia existe[n]s sagitta occidit existentem extra
Ecclesiam?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

tiis delictum effici leuius, vt poena temperari debeat, & aliud est, delictum ex vna in aliam speciem transire, vel vnam qualitatem amittere, & alteram induere: quapropter in omnibus Canonum, & Legum titulis, vbi de delictis agitur, manente eadem delicti specie subiciuntur aliquae exceptiones, siue ex circumstantiis excusationes, quae quidem delictum quoad poenam alleuant, non tamen naturam mutant. Accedit, quod delictum homicidij, aut mutilationis in Ecclesia commissum, vel leuiori poena, quam morte, aut membrorum abscissione (scilicet poena extraordinaria) plectendum est, & tunc non videtur, quod Ecclesiae immunitate gaudere indigeat, argumento à contrario sensu textus in cap. inter alia, de immunit. Eccles. vel ordinariam poenam meretur, & tunc ipsi aduersarij fatentur, immunitate priuari, puta si ex proposito commissum fuerit, vel ita quod committens excusatione dignus non sit.

At quidquid sit de hoc, quod quoad vtramque partem probabile mihi videtur, etsi probabilius quoad posteriorem; illud tamen (quod & fatentur etiam Aduersarij) dicendum est, quod qui in Ecclesia delinquit, semper praesumatur in dubio sub spe immunitatis delinquere (& sic quod defendi non debeat ab Ecclesia, donec non probauerit, se casu, & fortuito, & non ex proposito deliquisse) quia contra se legem habet. Atque ita ex communi docent Azor 2. p. lib. 9. cap. 9. q. 9. Farinac in append. de immunit. c. 16. n. 241. Gutier. pract. 99. Ciuil. lib. 3. q. 1. m. 8. Bobadilla Polit. lib. 2. c. 14. n. 24. & segg. & Azcued. l. 3. n. 25. lib. 1. tit. 25.

SECTIO V.

An priuatur, qui in Ecclesia existens, sagitta occidit existentem extra Ecclesiam?

SUMMARIUM.

- 1 Existens in Ecclesia si sagitta, vel sclopo mutilet extra ipsam manentem, non priuatur immunitate.
- 2 Circumstantia quod quis in Ecclesia existens occidat hominem extra ipsam, non aggrauat notabiliter homicidij peccatum.
- 3 Poena priuationis immunitatis sunt ob actum consummatum, & non inchoatum tantum; nam si secus esset, ad perdendam immunitatem sufficeret gladij euaginato in Ecclesia.
- 4 Existens in Ecclesia, si sagitta, vel sclopo occidat hominem manentem extra, non incurrit censuram latam contra occidentem in Ecclesia.
- 5 Amplia etiam si fraude, vel dolo extractum ab Ecclesia occidas, vel mutiles; nam etiam in tali casu quis non priuatur immunitate, quia in Ecclesia non fuit data causa necessaria actionis.
- 6 Poterit tamen capi à Ministris Ecclesiasticis, et si non à laica potestate.
- 7 Actio & passio sunt idem; passio autem est in passio, & non in agente: & ideo ex Ecclesia occidens non occidit in Ecclesia manentem extra ipsum.
- 8 Idem est inchoare, ac agere, & perficere. Homicida vero qui extra Ecclesiam manentem occidit, dicitur inchoare in Ecclesia quoad dispositiones, quatenus inchoare denotat agere extra quoad substantiam homicidij.

Sequitur quartò, quod immunitate neque priuatur, qui in Ecclesia existens, sagitta, lapide, vel sclopo existentem extra Ecclesiam mutilat, vel occidit. Atque ita contra communiorem (vt fatear) sententiam Ab-

Thom. Delbene de Immunit. Eccl. Pars II.

batis in cap. fin. num. 11. de immunit. Eccles. Nauar. c. 25. n. 21. Suar. de relig. lib. 3. c. 11. n. 6. Angel. verb. Immunitas §. 23. Sylu. eod. verb. 3. n. 8. Azor. 2. p. lib. 9. c. 9. q. 14. Farinac. de carcerib. q. 28. n. 61. & in append. de immunit. cap. 16. n. 223. & consil. 214. in princip. Decian. lib. 6. c. 24. n. 7. & c. 28. n. 6. Gutier. pract. 99. ciuil. lib. 3. q. 1. n. 19. Ambrosini de immunit. c. 5. n. 7. Couar. 2. var. c. 20. n. 15. Mar. Ital. de immunit. Eccles. lib. 1. c. 5. §. 3. Layman lib. 4. tract. 9. c. 3. n. 6. Marth. de iurisdict. p. 2. c. 51. n. 26. Villagut. de extens. legum. cap. fin. n. 61. & segg. Graff. tom. 1. lib. 3. consil. vnic. n. 10. de immunit. Eccles. Duardi in Bullam Coena, lib. 2. can. 15. q. 16. n. 23. Portell. verb. Ecclesia immunitas, n. 15. Megal. in 3. part. lib. 4. cap. 2. q. 1. n. 12. Gambacurt. lib. 5. c. 24. n. 21. Sarpi de iure asylo. cap. 4. fol. 44. Villadieg. in Polit. c. 3. n. 206. Ioan. de Henia in Curia Philip. part. 3. §. 12. num. 23. Cutell. de immunit. Eccles. lib. 1. q. 9. Lezanae verb. Immunitas, n. 11. & Bobadil. lib. 2. Polit. cap. 14. n. 26. docent probabilius Nouarius in summa Bullarum, tit. de immunit. Eccles. num. 51. Bonac. disp. 3. q. 7. de immunit. punct. 4. n. 8. Diana part. 1. tract. 1. resol. 9. Ricc. part. 5. collect. 1792. Peregrin. c. 13. n. 16. & consentit Fagundez 2. praecept. lib. 4. cap. 4. n. 17. (quatenus docet, quod talis circumstantia notabiliter homicidij peccatum non aggrauet. Et probatur, quia talis reuera non mutilat, vel occidit in Ecclesia, sed ex Ecclesia: quapropter non est facienda extensio, cum simus in materia odiosa, & immunitas Ecclesiae sit fauorabilis: tum quia non consummat, sed solum inchoat mutilationem, vel occisionem in Ecclesia, poenae autem sunt ob actum consummatum, non inchoatum, vt lib. de Parliamentis, dubit. 4. sect. 19. subsect. 31, diffusè dicebamus: tum quia alioquin qui in Ecclesia ex subita ira gladium euaginat, & inimicum insecutum extra Ecclesiam occideret, etiam immunitate Ecclesiae priuaretur, quod non videtur dicendum, quamvis id dicat Azor tom. 1. lib. 9. cap. 9. q. 14.

Confirmatur: quia, vt ex communi docet Bonacina de cens. disput. 1. quest. 1. punct. 11. num. 11. si quis existens in Ecclesia, sagitta, vel sclopo occidit hominem existentem extra Ecclesiam, non incurrit censuram latam contra occidentem in Ecclesia: ergo sic, &c.

Hinc, si dolo, fraude, vel etiam vi, &c. aliquem extraxeris ab Ecclesia, & extractum occidas, vel mutiles, immunitate non priuaberis: quidquid in contrarium etiam dicant Azor in loco supr. cit. & Farinac. in append. de immunit. cap. 16. num. 232. Peregrin. de immunit. cap. 6. num. 16. (vbi citat Abbatem, Sylvestrum, & Remigium Gonny) Barbosa de iur. Ecclesiast. lib. 2. cap. 3. num. 114. Duardus loc. supr. cit. Scortia in Bullar. epit. 152. theor. 385. maximè quia licet in Ecclesia dedis causam occisionis, non tamen dedisti causam occisionis necessariam, cum liberè postea occideris: ergo, &c. Vide Palaum tom. 2. tract. 11. disp. vnic. punct. 9. n. 18. Bonac. cit. disp. 3. q. 7. punct. 6. §. 2. m. 4. & Antoninum Dian. part. 4. tract. 1. resol. 107. & part. 6. tract. 1. resol. 7.

Ceterum concedo, quod in tali casu capi possis ab Ecclesiasticis Ministris ob iniuriam Ecclesiae factam, vel ob sacrilegam vulnerationem in Ecclesia inchoatam, &c. sicut & capi potes ab iisdem ob alia delicta in Ecclesia perpetrata, iuxta ea, quae dicebam dub. 10. sect. 12. & docent Farinac. n. 209. & Mar. Ital. lib. 1. c. 5. §. 3. n. 53. non tamen capi poteris à laica potestate, vti ex probabiliori sententia Doctorum dicebam supra n. 1. & 2.

Obiicies: qui in Ecclesia existens sagitta, vel sclopo existentem extra Ecclesiam occidit, agit in Ecclesia: ergo occidit in Ecclesia.

Respondetur: nego antecedens, sed agit ex Ecclesia, quia ex Arist. in lib. de Predicamentis, actio, & passio sunt idem; passio autem est in passio, non in agente.

E Instabis

Instabis : inchoat in Ecclesia : ergo agit , & perficit in Ecclesia. Consequentia probatur ; quia , vt ex Suetonio , Sallustio , Virgilio , Gellio , & Calepino verb. *Committo* , probat Cutellius cit. q. 9. n. 2. idem est inchoare , ac agere , perficere.

8 Respondetur , distinguo antecedens : inchoat in Ecclesia quoad dispositiones homicidij , & sic quoad istas agit , & perficit in Ecclesia , concedo : inchoat quoad substantiam homicidij , & sic quoad istud agit , & perficit in Ecclesia , nego ; sed sic potius agit , & perficit ex Ecclesia.

Vrgebis : saltem licet occidat ex Ecclesia , occidit ex illa sub spe immunitatis : ergo adhuc immunitate Ecclesia gaudere non debet.

Respondetur : transeat antecedens : at nego consequentiam , saltem secundum opinionem probabiliorum : vide etiam sect. seq.

SECTIO VI.

An priuatur , qui occidit prope Ecclesiam , vel exiens ab Ecclesia , vel existens in sacristia , atrio , recto , monasterio , palatio , vel scalis Ecclesiae , &c.

SUMMARIUM.

- 1 Occidens , vel mutilans in locis continguis Ecclesiae , puta in sacristia , recto , atrio , & simili , gaudet immunitate , etiam si sub spe immunitatis occiderit.
- 2 Loci praedicti in fauorabilibus veniunt Ecclesia appellatione , non tamen in odiosis.
- 3 Committens tempore Iubilaei etiam sub spe absolutionis peccata reservata etiam habentia annexam censuram quamdiu durat Iubilaeum , absolui potest.
- 4 Quod in vno loco est prohibitum , censetur in alio permissum : & sic homicidium , & mutilatio in Ecclesia , & Cameterio prohibita sub pena priuationis immunitatis , censentur extra non prohibita. Reus puniri debet in loco , in quo deliquit.
- 5 Nonnulli Doctores limitant de homicidio , & mutilatione facta ex proposito prope Ecclesiam , vel Cameterium , secus si ex subita rixa , & casu contigerit.
- 6 Delinquens prope Ecclesiam censetur sub spe immunitatis delinquere , & ei incumbit onus probandi contrarium.
- 7 Ex frequenti deambulatione circa locum sacrum medietate , & immediatè post delictum , insidia , & speculatores ibi positi , & similia faciunt presumere delictum patratum sub spe immunitatis.
- 8 Delinquens in loco sacro , spectato eius delicto indignus est immunitate , secus spectata Ecclesia sanctitate.
- 9 Ecclesia non fit spelunca latronum , quia ibi delinquentes corrigi , & puniri possunt à indice Ecclesiae.
- 10 Ecclesia non dat occasionem delinquenti , sed rei eam accipiunt ab ipsa , quandoquidem non est Ecclesia imputandus abusus illuc confugientium.
- 11 Declaratio Clementis VIII. qua resoluitur delinquentes sub spe immunitatis , ea gaudere non debere , non constat authenticè.
- 12 Declaratio particularis non tollit legem universalem.
- 13 Consuetudo legitime praescripta post Bullam Gregorianam est attendenda in materia immunitatis , secus ante dictam Bullam.

Sequitur quipò , quod immunitate multò minus ¹ *S* priuatur , qui prope Ecclesiam , vel Cameterium , aut exiens ab Ecclesia , vel Cameterio , quin , & in sacristia , scalis , atrio , seu porticu , ostio , campanili , vel recto Ecclesiae , nedum in Monasterio , vel Palatio Episcopi , (licet eadem immunitate gaudeant hi loci , ac gaudet Ecclesia , quandoquidè et si veniant appellatione Ecclesiae in fauorabilibus , non tamen veniunt in odiosis. Vnde si effundatur sanguis , vel semen in aliquo ipsorum locorum , non polluitur Ecclesia , vt rectè notarunt Barbosa *de iur. Eccles. lib. 2. c. 3. n. 64. & seqq.* Carolus Maranta *in controu. p. 2. respons. 36.* Ant. de Marin. *quotid. resol. c. 170.* & Sperell. *dec. 60. & 63.*) mutilat , vel occidit , etiam si sub spe immunitatis ibi delinquat , sicut qui tempore Iubilaei etiam sub spe absolutionis virtute Iubilaei obtinenda peccata reservata , vel excommunicationem annexam reservatam habentia committit , absolui potest , quamdiu durat Iubilaeum , quo datur priuilegium absoluenti. Probatur ex dictis , & confirmatur , quia solum excipitur ab immunitate homicidium , & mutilatio in Ecclesia , vel Cameterio : ergo , &c. Antecedens constat ex cap. *vlr. de immunit. Eccles.* & ex Constit. cit. Gregorij XIV. Consequentia probatur , quia in his exceptionibus , vt potè odiosis , & immunitati Ecclesiae derogantibus , non est facienda extensio ex identitate , vel maiori rationis : tum quia quod in vno loco est prohibitum , censetur in alio permissum , & sic homicidium , & mutilatio in Ecclesia , & Cameterio prohibita sub pena priuationis immunitatis , censentur extra Ecclesiam , & Cameterium sub tali pena non prohibita , sed permilla ; cum enim distinctè dicatur : *In Ecclesia , vel Cameterio* , virtute ponitur exclusiua , extra Ecclesiam , vel Cameterium : tum quia in eo loco quis puniri debet , in quo deliquit , sed iste non deliquit in Ecclesia , sed extra : ergo puniri debet extra , & sic non priuatur immunitate Ecclesiae , tum quia qui prope Ecclesiam delinquit sine spe immunitatis , immunitate gaudet , si confugit ad Ecclesiam : ergo immunitate etiam gaudebit si deliquerit cum spe immunitatis , quia Pontifex non respicit spem , sed qualitatem delicti , & iniuriam Ecclesiae.

Atque ita ex probabiliori etiam , si non ex communi sententia Doctorem , docent Abb. *cap. inter alia , n. 18. de immunit. Eccl. Angel. verb. immunitas , §. 17.* Nau. *cap. 25. n. 22.* Layman *lib. 5. tract. 9. c. 3. n. 7.* Tabien. *verb. Immunitas , n. 10.* Silu. *n. 5.* Armilla *n. 12.* Fagund. *de praec. Eccl. tract. 2. lib. 4. cap. 8. n. 45.* Peregrin. *de immunit. c. 6. num. 60.* Ioan. de la Cruz *p. 1. praecept. 8. q. 3. arr. 2. dub. 1. concl. 1.* Dian. *part. 1. tract. 1. resol. 3. & 39. & p. 3. tract. 1. resol. 39.* Megal. *in 3. p. c. 2. q. 1. n. 17.* Riccius *p. 3. dec. 250.* per totam , Nouarius *in sum. Bull. tit. de immunit. num. 6.* Filliuc. *tract. 15. c. 6. n. 132.* Mar. Italia *lib. 1. c. 4. §. 7. n. 16.* Sperellus *decis. 60. & 61.* Ciarlin. *in controuers. forens. c. 10. n. 95.* Maranta *in contr. iur. p. 2. respons. 45. n. 10. & seqq.* Trullench. *in Decalog. tom. 1. cap. 11. dub. 3. num. 13.* Zambellus *in reper. mor. verb. Ecclesia quoad eius immunitatem , n. 6.* Suar. *de relig. lib. 3. cap. 11. n. 9.* Lezana *verb. Immunitas , n. 11.* Bonac. *disp. 3. q. 7. de immunit. §. 4. n. 13.* contra Hostien. *in sum. de immunit. Eccl. §. in quantum , Marth. de iurisdic. p. 2. c. 5. n. 2.* Gambacurt. *lib. 5. c. 19.* Tannerum *in 2. 2. disp. 5. q. 8. dubit. 1. n. 17.* Zanard. *p. 1. de sacram. Poenit. cap. 18. cas. 5.* Sanch. *tom. 2. conf. moral. lib. 6. cap. 1. dub. 7. n. 20.* Villadieg. *in Polit. cap. 3. n. 206.* Ambrosin. *de immunit. Eccles. cap. 5. num. 4.* Sanch. *in selectis , disp. 44. num. 52.* Barbosa *in collect. lib. 3. tit. 49. cap. 10. num. 5.* & tom. 2. *de vniuers. iure Eccles. c. 3. n. 109.* (vbi ampliatur etiam si in vna Ecclesia reus delinquens ad aliam se recipiat : quia sunt vnica Ecclesia. Sylu. *verb. immunitas , 3. num. 6.* Hermon. *cap. 16. num. 80.* Azor *part. 2. lib. 9. c. 9. q. 9. vers. sed si quis , Gambacurt. lib. 5. c. 26.* Correa *in c. inter alia , p. 3. n. 36.* & Trullench. *dub. 3. n. 15.*) Ioan. de Hevia *part. 5. §. 12. n. 21.* Alciatum *de*